

respectifs. C'est pourquoi nous ne l'insérons ici que pour l'usage des prêtres des trois Districts de Québec, des Trois-Rivières et de Gaspé. La voici.

"ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE.

" Quod Dominus Noster JESUS CHRISTUS jam præmonuerat, para-
 " bolâ usus Agricolæ, qui *seminavit bonum semen in agro suo; cùm autem*
 " *dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio*
 " *tritici. (Matth. 13. 24); Id quidem nostris hisce temporibus in Hiberniâ*
 " *præsertim accidere, non sine maximo rei catholicæ detimento videtur.*
 " *Pervenit enim ad aures S. Congregationis scholas Biblicæ Societatis in totâ*
 " *ferè Hiberniâ esse institutas, Acatholicorum Procerum opibus ac patrocinio*
 " *suffultas, in quibus fuco charitatis rudes utriusque sexûs adolescentes, præ-*
 " *cipuè vero ruricola atque egeni, blanditiis atque etiam munusculis præcepto-*
 " *rum illecti, mortifero pravarum doctrinarum veneno inficiuntur. Additur, hu-*
 " *jusmodi scholarum magistros esse Methodistas, qui bibliâ utuntur à Biblicâ So-*
 " *cietate Anglie redditâ, erroribusque refertâ, alio nullo sibi proposito fine,*
 " *nisi seducendi juvenes, et orthodoxæ fidei veritates ex eorum animis penitus*
 " *evellendi. Hæc cùm ita sint, Amplitudo Tua jam videt quantâ sollicitudine*
 " *et studio Pastoribus vigilandum est, ut gregem suum à luporum insidiis, qui*
 " *veniunt in vestimentis ovium, sedulò tueantur. Si Pastores obdormiunt, citò*
 " *subrepet inimicus homo, loliumque seret, citò zizania videbitur in medio tritici*
 " *succrescere, illudque operire. Quare necesse est omnem navare operam, ut*
 " *adolescentes à lethalibus hisce scholis avocentur, ac monere parentes ut libe-*
 " *ros suos in errorem duci minimè patientur. Ad vitandas autem adversariorum*
 " *insidias nihil aptius esse videtur, quam catholicas erigere scholas, in quibus*
 " *pauperes ac rustici bonis disciplinis instituantur. Deerit fortasse modus sup-*
 " *plendi sumptibus? Addisci hic facile poterit ab ipsis heterodoxis, qui, ut*
 " *accepimus, pro earumdem scholarum sustentatione hebdomadalem unius assis*
 " *stipem à singulis de populo rogant. Quid vetat, ne et idem Catholici faciant?*
 " *Hortamur igitur, ac per viscera Domini Nostri JESU CHRISTI obsecramus*
 " *Amplitudinem Tuam, ut eo ineliore, quem arbitraris, modo gregem tuum*
 " *diligenter custodias ab iis, qui insidiosè se immittunt in ovile Christi, ut in-*
 " *cautas oves abducant; ac memor eorum, quæ Petrus Apostolus jam prænun-*
 " *tiavit tradens, quod *et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sec-*
 " **tas perditionis, (2. Petr. 21.)*; omni curâ des operam ne orthodoxa juventus*
 " *ab iis corrumpatur, quod quidem facile te assequuturum spero, si catholicæ*
 " *scholæ in tuâ Diœcesi erigantur. Ac dum fore confido ut Amplitudo Tua*
 " *in re tanti momenti omnes animi vires adjiciat, ne scilicet bonum triticum*
 " *zizaniâ suffocetur, Deum O. M. precor, ut camdem diutissime servet ac sos-*
 " *pitet.**

Amplitudinis Tuæ

ad officia paratissimus

✠ JULIUS Mar. Card. de Somalia Pro-Præfектus.

Romæ, ex ædibus S. Congregationis de
 Propaganda Fide, die 5 Augusti 1820.